

nec ex parte productionis. Non ex parte DEI, quia ab æterno is fuit omnipotens, ergò ab æterno potuit creare, simili ratione, si Sol ab æterno fuisset, producere potuisset lumen in aëre sibi coævum & ignis, si ab æterno fuisset, splendorem sibi coëxistentem habere potuisset. Jam si creatura cum effectu potest esse simul, etiam istud poterit DEUS, cum DEUS non minus potentia habeat ad productionem creaturæ, quam creatura habeat ad productionem proprii effectus. Neque repugnantia est ex parte Creaturæ, quia quicquid DEUS ab æterno potuit velle, id ab æterno potuit producere, sed creaturam ab æterno potuit velle, E. creaturam ab æterno potuit producere. E. creatura quoque potuit produci. Neque hoc repugnat ex parte creationis, quia creatio est facere ac fieri indivisibile ac momentaneum, quando autem facere & fieri indivisibiliter, ac tota simul sunt, tunc facere, fieri ac factum esse etiam simul sunt, & consequenter effectus non est duratione posterior ipso facere vel fieri. Unde tale propullulat argumentum: Quod habet esse à sua causa per fieri indivisibile ac momentaneum, illud, si causa causat ab æterno, potest etiam esse æternum. Creatura habet esse à DEO per fieri indivisibile & momentaneum. E. Creatura, si DEUS causat ab æterno, potest etiam esse æterna. Ea omnia, quæ hic objici possunt ex Morisano aliisq; non tangemus.

Th. 26. Hac quæstione præmissa dicimus, Creaturam ab æterno factam posse dici æternam, licet à Creatore dependeat. Etenim si eum, qui ante biennium natus est bimum, ante triennium unum trimum, quadriennium quadrimum rectè dicimus, cur is, qui ab æterno factus, æternus dici nequeat? Maximè cum usus ita obtineat. Pro qua sententia tale pronascitur ratiocinium. Quod nec incipit esse, nec aliquando desinit esse, id omnino dici potest æternum; Sed Creatura, quæ ab æterno produci potest, nec incipit, nec desinit esse E. Creatura, quæ ab æterno produci potest, potest dici æterna. Minor ex dictis patet. Major quoq; sua luce radiat. Neq; non posse habere initium & finem, & ita simpliciter interminabile esse spectat ad rationem Æternitatis ut sic, sed saltim pertinet ad talem Æternitatem: nam quod ab intrinseco æternum est, ab intrinseco etiam est immutabile, quod verò ab extrinseco in æternitate factum est, ab intrinseco sit im-

D muta-